tamen strepitus antecedunt, magni. Ad conspiciendum hoc mirabile naturae incendium venit Plato philosophus ab Athenis in Siciliam et montem Aetnam perlustrans sensu et ratione causam investigavit ignium illorum. Huic incendio propter ejus exundantiam comparat beatus Hieronymus in Epist. ad Furiam flammascentem juventutem dicens: non Aetnaei ignes, non Vulcania tellus, non Vesevus et Olympus tantis ardoribus aestuat, ut juveniles medullae plenae vino et (**190 a**) dapibus inflammatae; semper enim juventus incensa fervet, Aetna autem pro tempore, ut patebit.

De hoc monte erumpit igneus fluvius, decurrens contra Catanam urbem, saxa terramque liquefaciens, sicut habetur in Legenda S. Agathae. Dicunt insuper, quod hic mons Aetna tantas cineres ejicit, ut civitates et villas operiat et loca multa deserta faciat. Ignibus tamen non obstantibus tantum frigus est in ejus summitate, ut perpetuis nivibus candescat. Incolae dicunt, quod flammatio cessavit et solum fumus emittitur. Sed quid sentiendum sit de istis ardentibus montibus, et unde sit ignis ille, diversa est relatio. Nam aliter de hoc loquuntur poeticae fictiones, aliter vulgarium opiniones, aliter naturalium descriptiones. Nam poetae dicunt, quod haec insula ante Jovem fuerit habitatio Cyclopum. Erant autem Cyclopes gigantes, solum unum habentes in fronte oculum, et habitabant in antris devorantes homines et bestias. Unde longa contexta est historia, quomodo Ulysses cum sociis suis naufragium passus venit in Siciliam in insulam et vidit ibi hominem ingentem villosum et hispidum, greges mulgentem, et ab antro suo solum amoventem lapidem, quem movere nequivissent juga boum XX. Cujus antrum ingressus cum sociis Ulysses eum oravit amicum fieri. Cyclops autem sprevit dicens, se etiam Jovis amicitias non curare, et, captis duobus ex sociis Ulyssis, illos discerpsit et devoravit. Quare commotus Ulysses cogitavit eum occidere, sed quia non potuit tam ingentem molem ab ostio antri amovere, destitit. Mane Cyclops alios duos comedit de sociis Ulyssis, et exiens gigas advolvit saxum et Ulyssem cum reliquis sociis inclusos reliquit et cum gregibus ad pascua abiit. Ulysses autem clausus ingentem baculum acuit et in specu abscondit, Cyclops autem rediens alios duos comedit, Ulysses autem, ut misericordem eum faceret, obtulit cadum optimi vini, quo potato promisit misereri, si alium cadum offerret, et cum tertium potasset,

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;